

'Iuppiter!' exclamat, simul atque audivit? 'at in se
pro quaestu sumptum facit hic.' vix credere possis,
quam sibi non sit amicus, ita ut pater ille, Terenti 20
fabula quem miserum gnato vixisse fugato
inducit, non se peius cruciaverit atque hic.

si quis nunc quaerat 'quo res haec pertinet?' illuc:
dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Malatinus tunicis demissis ambulat; est qui 25
inguen ad obscaenum subductis usque; facetus
pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.

nil medium est. sunt qui nolint tetigisse nisi illas,
quarum subsuta talos tegat instita veste;
contra alias nullam nisi oleni in fornice stantem. 30

quidam notus homo cum exiret fornice, 'macte
virtute esto' inquit sententia dia Catonis:
'nam simul ac venas inflavit taetra libido,
huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
permolere uxores.' 'nolim laudarier' inquit 35
'sic me' mirator cunni Cupiennius albi.

audire est operae pretium, procedere recte
qui moechis non voltis, ut omni parte laborent,
utque illis multo corrupta dolore voluptas,
atque haec rara cadat dura inter saepe pericla. 40
hic se praecipitem tecto dedit, ille flagellis
ad mortem caesus, fugiens hic decidit acrem
praedonum in turbam, dedit hic pro corpore nummos,
hunc perminxerunt calones; quin etiam illud